

# **21<sup>ST</sup> LATIN SUMMER SCHOOL**

19<sup>th</sup>-23<sup>rd</sup> JANUARY 2015 Education Building, University of Sydney

**LEVEL 3B(i)**

**Mediaeval Latin**

**Instructors: Alison Waters and Roger Pitcher**



## Medieval Latin Group 2015

## 1) Geoffrey of Monmouth

(Geoffrey is available in English in Penguin Classics, also in a dual language edition edited by Michael Reeve)

## a) The Island of Britain

## DESCRIPTIO INSVLAE

Britannia, insularum optima, in occidentali oceano inter Galliam et  
 Hiberniam sita, octingenta milia in longum, ducenta uero in latum continens, 25  
 quicquid mortalium usui congruit indeficienti fertilitate ministrat. Omni  
 etenim genere metalli fecunda, campos late pansos habet, colles quoque  
 praepollenti culturae aptos, in quibus frugum diuersitates ubertate glebae  
 temporibus suis proueniunt. Habet et nemora uniuersis ferarum generibus  
 repleta, quorum in saltibus et alternandis animalium pastibus gramina 30  
 conueniunt et aduolantibus apibus flores diuersorum colorum mella  
 distribuunt. Habet etiam prata sub aeriis montibus amoeno situ uirentia, in  
 quibus fontes lucidi, per nitidos riuos leni murmure manantes, pignus suauis  
 soporis in ripis accubantibus irritant. Porro lacubus atque piscosis fluuiis  
 irrigua est et absque meridianae plagae freto, quo ad Gallias nauigatur, tria 35  
 nobilia flumina, Tamensis uidelicet et Sabrinae nec non et Humbri, uelut  
 tria brachia extendit, quibus transmarina commercia ex uniuersis nationibus  
 eidem nauigio feruntur. Bis denis etiam bisque quaternis ciuitatibus olim  
 decorata erat, quarum quaedam dirutis moeniis in desertis locis squalescunt,  
 quaedam uero adhuc integrae templa sanctorum cum turribus perpulcra 40  
 proceritate erecta continent, in quibus religiosi coetus uirorum ac mulierum  
 obsequium Deo iuxta Christianam traditionem praestant. Postremo quinque  
 inhabitatur populis, Normannis uidelicet atque Britannis, Saxonibus,  
 Pictis, et Scotis; ex quibus Britones olim ante ceteros a mari usque ad mare  
 insederunt donec ultione diuina propter ipsorum superbiam superueniente 45  
 Pictis et Saxonibus cesserunt. Qualiter uero et unde applicuerunt restat  
 nunc perarare ut in subsequentiis explicabitur.

## LIBER I

Aeneas post Troianum bellum excidium urbis cum Ascanio filio diffugiens  
 Italiam nauigio adiuit. Ibi cum a Latino rege honorifice receptus esset, inuidit  
 Turnus rex Rutulorum et cum illo congressus est. Dimicantibus ergo illis, 50  
 praeualuit Aeneas peremptoque Turno regnum Italiae et Lauiniam filiam  
 Latini adeptus est. Denique, suprema die ipsius superueniente, Ascanius,  
 regia potestate sublimatus, condidit Albam super Tyberim genuitque filium  
 cui nomen erat Siluius. Hic, furtiuae ueneri indulgens, nupsit cuidam nepti  
 Lauiniae eamque fecit praegnantem. Cumque id Ascanio patri compertum 55  
 esset, praecepit magis suis explorare quem sexum puella concepisset.  
 Certitudine ergo rei comperta, dixerunt magi ipsam grauidam esse puero qui  
 patrem et matrem interficeret, pluribus quoque terris in exilium peragratis  
 ad summum tandem culmen honoris perueniret. Nec fefellit eos uaticinium  
 suum. Nam ut dies partus accessit, edidit mulier puerum et in natiuitate eius 60  
 mortua est; traditur autem ille obstetrici et uocatur Brutus. Postremo, cum ter  
 quini anni emensi essent, comitabatur iuuenis patrem in uenando ipsumque  
 inopino ictu sagittae interfecit; nam dum famuli ceruos in occursum eorum  
 ducerent, Brutus, telum in ipsos dirigere affectans, genitorem sub pectore  
 percussit.

Diuiso tandem regno, affectauit Brutus ciuitatem aedificare. Affectum 490  
itaque suum exequens, circuiuit tocius natriae situm ut congruum locum  
inueniret. Perueniens ergo ad Tamensem fluuium, deambulauit littora  
locumque nactus est proposito suo perspicuum. Condidit itaque ciuitatem  
ibidem eamque Troiam Nouam uocauit. Ea, hoc nomine multis postmodum  
temporibus appellata, tandem per corruptionem uocabuli Trinouantum 495  
dicta fuit. At postquam Lud frater Cassibellauni, qui cum Iulio Caesare  
dimicauit, regni gubernaculum adeptus est, cinxit eam nobilissimis muris  
nec non et turribus mira arte fabricatis; de nomine quoque suo iussit eam  
dici Kaerlud, id est ciuitas Lud. Vnde postea maxima contentio orta est inter  
ipsum et Nennium fratrem suum, qui grauiter ferebat illum uelle nomen 500  
Troiae in patria sua delere. Quam contentionem quia Gildas hystoricus satis  
prolixè tractauit, eam praeterire praelegi, ne id quod tantus scriba tanto  
stilo perarauit uidear uiliori dictamine maculare.

Postquam igitur praedictus dux praedictam urbem condidit, dedicauit  
eam ciuibus iure uicturis deditque legem qua pacifice tractarentur. 505  
Regnabat tunc in Iudaea Heli sacerdos et archa testamenti capta erat a  
Philisteis. Regnabant etiam in Troia filii Hectoris, expulsis posteris  
Antenoris. Regnabat in Italia Siluius Aeneas, Aeneae filius, auunculus  
Bruti, Latinorum tercius.

## LIBER II

23 Cognouerat autem Brutus Innogin uxorem suam et ex ea genuit tres inclitos  
filios, quibus erant nomina Locrinus, Albanactus, Kamber. Hii, postquam  
pater in .xx.iiii. anno aduentus sui ab hoc saeculo migravit, sepelierunt eum  
infra urbem quam condiderat et diuiserunt regnum Britanniae inter se et  
secesserunt unusquisque in loco suo. Locrinus, qui primogenitus fuerat, 5  
possedit mediam partem insulae, quae postea de nomine suo appellata  
est Loegria; Kamber autem partem illam quae est ultra Sabrinum flumen,  
quae nunc Gualia uocatur, quae de nomine ipsius postmodum Kambria  
multo tempore dicta fuit, unde adhuc gens patriae lingua Britannica sese  
Kambro appellat; at Albanactus iunior possedit patriam quae lingua nostra 10  
his temporibus appellatur Scotia et nomen ei ex nomine suo Albania dedit.  
Illis deinde concordiae pace diu regnantibus, applicuit Humber rex Hunorum  
in Albaniam et commisso proelio cum Albanacto interfecit eum et gentem  
patriae ad Locrinum diffugere coegit.

24 Locrinus igitur, audito rumore, associauit sibi Kambrum fratrem 15  
suum et collegit totam iuuentutem patriae et iuit obuiam regi Hunorum  
citra fluuium qui nunc uocatur Humber. Inito ergo congressu, compulit

Humbrum in fugam; qui usque ad fluuium diffugiens submersus est infra  
fluctus et nomen suum flumini reliquit. Locrinus ergo, potitus uictoria,  
spolia hostium sociis largitur, nichil sibi ipsi retinens praeter aurum et 20  
argentum quod infra naues inuenit. Retinuit quoque sibi tres puellas mirae  
pulcritudinis, quarum prima filia fuerat cuiusdam regis Germaniae quam  
praedictus Humber cum duabus rapuerat dum patriam uastaret. Erat nomen  
illius Estrildis, et erat tantae pulcritudinis quod non leuiter reperiatur quae  
ei conferri poterat; candorem carnis eius nec Indicum ebur nec nix recenter 25  
cadens nec lilia ulla uincebant. Amore itaque illius Locrinus captus uoluit  
cubilia eius inire ipsamque sibi maritali taeda copulare. Quod cum Corineo  
compertum esset, indignatus est ultra modum, quoniam Locrinus pactus  
fuerat sese filiam ipsius ducturum.

Aduit ergo regem et bipennem in dextera manu librans illum hoc modo 30  
allocutus est:

'Haecine rependis michi, Lochrine, ob tot uulnera quae in obsequio  
patris tui perpessus sum dum proelia cum ignotis committeret gentibus,  
ut filia mea postposita tete conubio cuiusdam barbarae summitteres?  
Non impune feres dum uigor huic inerit dexterae, quae tot gigantibus per 35  
Tyrrena littora gaudia uitae eripuit'.

Hoc iterum iterumque proclamans, librabat bipennem quasi percussurus eum, cum amici utrorumque sese interposuerunt. Sedato uero Corineo, Locrinum quod pepigerat exequi coegerunt.

- Duxit itaque Locrinus filiam Corinei, Guendoloenam nomine, nec tamen Estrildidis amoris oblitus est sed facto infra urbem Trinouantum subterraneo inclusit eam in ipso familiaribusque suis honorifice seruandam tradidit. Volebat saltem furtiuam uenerem cum illa agere; timore namque Corinei anxius, non audebat eam patenter habere sed ut praedictum est occuluit illam frequentauitque septem annis integris, nemine comperiente exceptis illis qui eiusdem familiaritati proximiores fuerant. Nempe quotienscumque adibat illam fingebat se uelle occultum sacrificium diis suis facere; unde quosque falsa credulitate mouebat id ipsum aestimare. Interea grauida facta est Estrildis ediditque filiam mirae pulcritudinis, quam uocauit Habren. Grauida etiam facta est Guendoloena genuitque puerum, cui impositum est nomen Maddan. Hic, Corineo auo suo traditus, documenta ipsius discebat.
- 25 Subsequente tandem tempore defuncto Corineo deseruit Locrinus Guendoloenam et Estrildidem in reginam erexit. Itaque Guendoloena, ultra modum indignans, adiuit Cornubiam collectaque iuuentute totius regni illius coepit inquietationem Locrino ingerere. Conserto tandem utrorumque exercitu, commiserunt proelium iuxta fluuium Sturam, ubi Locrinus ictu sagittae percussus gaudia uitae amisit. Perempto igitur illo, cepit Guendoloena regni gubernaculum, paterna insania furens. Iubet enim Estrildidem et filiam eius Habren praecipitari in fluuium qui nunc Sabrina dicitur fecitque edictum per totam Britanniam ut flumen nomine puellae uocaretur; uolebat etenim honorem aeternitatis illi impendere quia maritus suus eam generauerat. Vnde contigit quod usque in hunc diem appellatum est flumen Britannica lingua Habren, quod per corruptionem nominis alia lingua Sabrina uocatur.
- 60
- 65 Regnauit deinde Guendoloena .xv. annis post interfectionem Locrini, qui decem annis regnauerat; et cum uidisset Maddan filium suum aetate aduultum, sceptro regni insigniuit illum, contenta regione Cornubiae dum reliquum uitae deduceret. Tunc Samuel propheta regnabat in Iudaea et Siluius Aeneas uiuebat adhuc et Omerus clarus rethor et poeta habebatur.

2) A Latin Exam in 1253 (Can you find the errors?)

[no English available]

Ipsa die, uidelicet die Martis ante Penthecostem, examinauimus Gaufridum clericum, presentatum ad ecclesiam Beati Richarii de *Herecort*, in illa legenda "*Omnia autem aperta et nuda sunt ejus oculis*". Requisitus: « 'Aperta', que pars? », respondit: « Nomen »; requisitus si posset esse alterius partis oracionis, respondit quod sic, uidelicet participium. Requisitus a quo verbo descendit, dixit ab hoc verbo "aperio, aperis, aperii, aperire, aperior, aperieris, etc". Requisitus: « 'Compati', cujus figure? », dixit: « 'Compatire', de 'cum' et 'pateo, pates, patui, patere, patendi, patendo, patendum, passum, passu, patiens, passurus, pateor, pateris, passus, patendus' ». Requisitus quid significet 'pateo, pates', dixit « aperire vel sufferre ». Requisitus: « 'Absque', que pars? », dixit: « Conjunctio »; requisitus cujus partis, dixit causalis. Requisitus de cantu, nichil sciebat cantare sine soffa sive nota, et etiam discordabat in soffa sive nota. Nos autem, tam propter hujus insufficienciam quam propter hoc quia infamatus erat inventus de incontinencia et bellicositate, per inquisitionem quam de ipso fieri feceramus, ipsum ad dictam ecclesiam non duximus admittendum, presentibus fratre Osmondo, fratre Galtero de Mineriis, fratre Rogero, ejus cognato, fratribus minoribus, Radulpho presbytero de Deivilla, magistro Mauro, fisico, magistro Petro de Alba Mallia, Stephano, prebytero de Blenello, Evrardo, filio Comitum, clericis nostris.

(These letters are translated in Penguin Classics)

## a) Abelard's Misfortune

## THE HISTORY OF MY MISFORTUNES

Erat quippe in ipsa civitate Parisiensi adolescentula quaedam nomine Heloisa, neptis canonici cuiusdam qui Fulbertus vocabatur, qui eam, quanto amplius diligebat, tanto diligentius in omnem qua poterat scientiam litterarum promoveri studuerat. Quae, cum per faciem non esset

infima, per abundantiam litterarum erat suprema. Nam, quo bonum hoc, litteratoriae scilicet scientiae, in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat et in toto regno nominatissimam fecerat. Hanc igitur, omnibus circumspectis quae amantes allicere solent, commodiorem censui in amorem mihi copulare et me id facillime credidi posse. Tanti quippe tunc nominis eram et iuventutis et formae gratia praeminebam ut quamcumque feminarum nostro dignarer amore nullam vererer repulsam. Tanto autem facilius hanc mihi puellam consensuram credidi, quanto amplius eam litterarum scientiam et habere et diligere noveram, nosque etiam absentes scriptis internuntiis invicem liceret praesentare, et pleraque audacius scribere quam colloqui, et sic semper iocundis interesse colloquiis.

In huius itaque adolescentulae amorem totus inflammatus occasionem quaesivi qua eam mihi domestica et quotidiana conversatione familiarem efficerem et facilius ad consensum traherem. Quod quidem ut fieret, egi cum praedicto puellae avunculo, quibusdam ipsius amicis intervenientibus, quatenus me in domum suam quae scholis nostris proxima erat sub quocumque procurationis pretio susciperet, hanc videlicet occasionem praetendens quod studium nostrum domestica nostrae familiae cura plurimum praepediret et impensa nimium me gravaret. Erat autem cupidus ille valde, atque erga neptim suam ut amplius semper in doctrinam proficeret litteratoriam plurimum studiosus. Quibus quidem duobus facile eius assensum assecutus sum, et quod optabam obtinui, cum ille videlicet et ad pecuniam totus inhiaret et neptim suam ex doctrina nostra aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus, supra quam sperare praesumerem, votis meis accessit et amori consuluit, eam videlicet totam nostro magisterio committens ut, quotiens mihi a scholis reverso vacaret, tam in die quam in nocte ei docendae operam darem, et eam, si negligentem sentirem, vehementer constringerem. In qua re quidem quanta eius simplicitas esset vehementer admiratus, non minus apud me obstupui quam si agnam teneram famelico lupo committeret.

## b) Heloise's Misfortune

Nosti, charissime, noverunt omnes, quanta in te amiserim, et quam miserabili casu summa et ubique nota proditio meipsam quoque mihi tecum abstulerit, et incomparabiliter major sit dolor ex amissionis modo quam ex damno. Quo vero major est dolendi causa, majora sunt consolationis adhibenda remedia. Non utique ab alio, sed a teipso, ut qui solus es in causa dolendi, solus sis in gratia consolandi. Solus quippe es qui me contristare, qui me laetificare, seu consolari valeas. Et solus es qui plurimum id mihi debeas, et tunc maxime cum universa quae jusseris intantum impleverim, ut cum te in aliquo offendere non possem, meipsam pro jussu tuo perdere sustinerem. Et quod majus est, dictoque mirabile, in tantam versus est amor insaniam, ut quod solum appetebat, hoc ipse sibi sine spe recuperationis auferret.

15 Cum ad tuam statim jussionem tam habitum ipsa quam animum  
immutarem, ut te tam corporis mei quam animi unicum posses-  
sorem ostenderem. Nihil unquam (Deus scit) in te nisi te requisivi;  
te pure, non tua concupiscens. Non matrimonii foedera, non dotes  
aliquas exspectavi, non denique meas voluptates aut voluntates,  
20 sed tuas (sicut ipse nosti) adimplere studui. Et si uxoris nomen  
sanctius ac validius videtur, dulcius mihi semper exstitit amicae  
vocabulum; aut, si non indigneris, concubinae vel scorti. Ut quo  
me videlicet pro te amplius humiliarem, ampliorem apud te con-  
sequeretur gratiam, et sic etiam excellentiae tuae gloriam minus  
laederem. Quod et tu ipse tui gratia oblitus penitus non fuisti, in  
25 ea, quam supra memini, ad amicum epistola pro consolatione  
directa. Ubi et rationes nonnullas, quibus te a conjugio nostro  
infaustis thalamis revocare conabar, exponere non es dedignatus;  
sed plerisque tacitis, quibus amorem conjugio, libertatem vincu-  
lo praeferebam. Deum testem invoco, si me Augustus universo  
30 praesidens mundo matrimonii honore dignaretur, totumque mihi  
orbem confirmaret in perpetuo praesidendum, charius mihi et  
dignius videretur tua dici meretrix quam illius imperatrix.

